

quia spiritualiter dijudicantur: Sed potius hæc cognitio dicitur supernaturalis, spiritualis, quæ non nisi per DEI gratiam, per divini Spiritus adstantiam, per divinæ revelationis sapientiam, per divinæ communicationis, vel illuminationis ἐπέφαια, nobis hominibus conceditur, & hæc in Oraculo præfenti per Christum intenditur, ac attenditur.

13. (3) Nec intelligitur γυνώσις humani laboris & studii, quæ per multam indagacionem, per continuam humanæ mentis meditationem, per operosam objectorum contemplacionem, per variam exercitationem, per mutuam eum aliis collationem & communicationem, acquiritur, siquidem salutaris DEI γυνώσις non est humanæ sagacitatis, sed divinæ benignitatis, non est res nostri laboris, sed divini favoris, non est humanæ energie, sed paternæ Dei gratiæ, non est Spiritus nostri gymnasium, sed divini Spiritus beneficium, non est exercitationis nostræ profectus, sed operationis divinæ salutaris effectus: hoc non est habitualis studii, sed spiritualis fidei, quia Christus hoc loco nihil aliud per hanc γυνώσιν, quam veram fidem intelligit, cum hoc solenne sit Spiritui Sancto, vel Scripturæ Sacræ, per γυνώσιν spirituales veram fidem, & vice versa per veram fidem salutarem γυνώσιν notare, significare, δευτικῶς indicare, nobisq; convenienter insinuare, seu firmiter applicare, sed de his planius circa Formam agetur.

14. Hæc de Genere sufficiant, pergimus ad Differentiam, & in hac causali Definitione secundum ordinem causas investigamus, & explicamus. Quod attinet Causam Efficientem hujus Theologiæ, ea vel est principalis, nim ipse Christus Salvator, qui præfens Oraculum proposuit, & in eodem nobis satis accuratam definitionem Theologiæ, specialiter ita dictæ, luculenter exposuit. Quod enim Christus verus sit Autor hujus Theologiæ, constat (1) ex totius capitis consideratione, quia totum hoc cap. XVII. nihil aliud nisi verba Christi complectitur, dum solus ipse loquitur, adeoque sic etiam hunc v. 3. solus elocutus est. (2) ex hujus versiculi tertiæ conditione, quia verus nucleus dicitur totius capitis, quod ex antecedentium & consequentium collatione patescit, dū cuncta præfens Oraculum, sicut nucleum, respiciunt, & rei magnæ descriptionem, vel introductionem producunt.

dunt,